

signum, cur potius infaustum quàm fœlix? Si uerò signū simpliciter, atque in uniuersum non est. nam præcipuum aliquod est signum, cum agamus vel de isto vel de alio Cometa, & Physica singularia sunt singularis & propriæ naturæ. Cur ut est certus vnus Cometa, non est etiam hoc signum, & huius mali, & huius aut illius temporis? de proprijs dicent nolumus. Ego uero nefas esse de peculiari Cometa loquentem generales effectus afferre. Siue enim causa, siue signum Cometa sit ad aliud refertur. Quæ uerò se vicissim respiciunt, nexu tali vincuntur, ut naturæ illorū, intelligētia & notio par, sit & mutua. Quare genera uniuersum respiciunt: Generis partes ad formas, Singula ad singularia referuntur. Minamur non abstractis, & cogitatione nuda intellectis, uerūm his aut illis mortalibus. Et cum ærumnarum causa vel indicium sit Physicum phasma, vel de certis ærumnis esse debent præsentiones, vel uniuersalia sunt omittenda. Quod si portentum Cometa diuinumq; opus, cur naturam adiungunt? etiam eam genitricem & atricem faciunt? Si uerò à stellis, à terra ipsa, ab ignis ardore, à cœli uertigine est Cometa, cur à Deo cuius consilia ignoramus? Et non modò à numine ipso, sed etiam ad hominū terrorem & labem? Et si præsciri possunt crinitæ (dicunt enim ex congressibus planetarū Martis, ♃, ♄, ♅, & à defectibus Lunæ ac Solis fieri) cur timemus ut nouas, ut nunquam uisās, ut absoluta miracula, cum sint, effectibus non malæ, sæpe etiam bonæ: causis uerò minimè timende, forma, facie, calore maximè iucundæ? Quæ causa hinc subest calamitatum? Deus id neminem docet (uel iubet docere) peculiari fauore. Stellarum natura ferè omnium abstrusa. Et qui hæc docet Ptolemæus, non modò futilia multa habet: sed etiam quæ ab omni pietate abhorrent, cum uelit exorari ab illo Deum, qui supplex adoret, Luna cum Ioue congreidente. Sed audio: Cap. VI.

tuas obseruationes obtrudent, de quarum uis, tu Heros

Relatiua
inter sese